DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XIX. FEBRVARII.

M. LANCELOTO DE FRADES Doctore Medico moderatore.

An sanitas firma seruatur quæ à pluribus obseruatur? 910

MELIVS est esse quam non esse, ideo natura conseruationis suæ præsidia haud negligens, dum generatione specierum immortalitati, & indiuiduorum, si fieri posset, incolumitati sempiternæ sanitate consuluit, perfectissimum aliquid, sed impossibile vel momentaneum exoptauit; Illud semper intendit, hoc vehementer amplectitur, In cuius tamen possessione nondum confirmata, sed externis & domesticis iniuriis exposita hostiles manus experitur, nonnumquam & plures casus; Quibus vtitur necessario, ab iisdem iugulatur; dum vacuum fugit, repletione opprimitur, ignara mediocritatem in omnibus semper esse optimam: sic propriis sumptibus edocta, quid non molitur? cunctis rebus appetitum, belluis instinctum, hominibus rationem & artem quibus malum fugerent & bonum prosequerentur concessit. Ista naturalis partium omnium constitutio, in quâ nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionibus impedimur sanitatis nomine appellanda venit, estque non ipsarum qualitatum proportio, sed virtus & affectio ex eadem emergens, quam in subiecto diutius conseruat sex rerum non naturalium legitima administratio.

ROBVR corporis sani in temperie calidâ partium similarium consistens, ex neruorum duritie, Articulorum & ligamentorum εὐτονίᾳ, exactâ compositione, spirituum vbertate, tenuitate, humorum stabili consistentiâ, & principum animalis parenchymatum soliditate dependens, quia difficile mutatur, facili negotio conseruatur; ad frigidam affectionem minus vergens, promptius & sine labore recuperatur, similibus conseruatur, vt contrariis curari solet; Calorem habet comitem, vitæ & sanitatis fontem ac fomitem, à quo actionum integritas, raritas corporis, retentorum concoctio, excrementorum euacuatio, nec non sensuum omnium vigor simul & actiuitas oriuntur: si coniunctam admiseris siccitatem humore & frigore contemperatam, vt externis iniuriis minus obnoxium corpus, sic firmius & robustius demonstrabis. Hæc contemplanti non communis modò, sed propria cuiusque natura explorata esse debet.

NON omnia possumus neque noscimus omnes; vita vniuscuiusque breuis, præcepsque occasio improbos hominum labores eludit sæpè, vnius sensus pluribus intentus non valet ad plurima, & natura licet omnibus æquissima quod vni concessit alteri denegauit; quod paucis inesse voluit, ciuilis societatis & vtilitatis gratiâ, pluribus impertiuit: hinc illi artifices ac fideles ministri, qui Iudicij maturitate, & rerum multarum peritiâ acuta mortis iacula retundunt, & valetudinem nutare non sinunt, quia nimirum multiplici obseruatione & velut partitis viribus; hic Solis & Lunæ motus, lumen, influxus sanitatis optimæ causas conseruatrices contemplatus; Ille climatum, zonarum, regionum, locorum naturam, singula singulis accommodant haud neglectâ tempestatum & ventorum cognitione, quorum salubris aptatio & vsus vt nautis ad regendam nauim, sic & Medicis ad sanitatem tuendam non minimum prodest.

CIBVS & potus vnà cùm aëre triplicis nostræ substantiæ effluuium restaurant, nouit hoc Medicorum quiuis: bene consultum generi humano foret si eorum quantitatem, qualitatem, & vtendi modum æquè exploratum haberet. Omnibus quoque notum solidiorem cibum præstare ad nutritionem liquido & spirituoso; vires conseruare alimentum εὔχυμον καὶ πολύτροφον, calidum moderatè, sic crassum & glutinosum. At suillæ carnes molem corporis non robur augent: Perdicum, Turturum, & auium montanarum mentis acumen non corpus roborant. Apage Zythum, aquam piscibus relinquas; præstat vinum moderatè sumptum, album si marem dixeris non repugnabo, id sanè tantò gratius, quantò corpori nutriendo rubrum idoneum magis; meraciori si parcas, Veneri vel somno non indulgeas, neque frigidâ caput abluas, mentis & rationis compos eris.

QVISQVIS seipsum nouerit solius Medici sedulò & amicè coniurantis adminiculo, vnà & peculiari naturæ motu ferri poterit ad ea quæ sanitati conseruandæ ad vnguem respondeant. Is autem si longâ rerum vt & annorum experientiâ doctus fuerit, prudenter monebit quibus delectetur, augeatur, seruetur cibis, potionibus, locis, aëre, motu, quiete, somno, aut à quibus lædi possit; quid amicum & familiare, quid exosum & inimicum haberi debeat docebit: nauseam sibi mouere ptisanam, aliis gratissimam, oua, poma, sisymbrium, vinum stomacho infensissima, quæ ferè omnes in deliciis habent: Manna in bilem facessere, quod pluribus aluum potenter soluit: enematis iniectionem facilè admittere qui à suppositâ glande animi deliquium patiatur. Paucis complectar; sicut præcellentem Medicum in multis hærere interdum ac dubitare contingit, ita collegarum studia & rationes non iniquo animo feret, quorum nonnulli, dum probam ille temperiem similibus conseruabit, eandem contrariis à leui excessu vindicent: alij varias ætatum & anni tempestatum mutationes contemplentur, dum diuersam victus rationem illis præscribet: alij gratissimo assuetudinis imperio famulentur, dum is mutationem repentinam naturæ inimicam spectare & cauere studebit. 355

Ergo sanitas firma seruatur quæ à pluribus obseruatur.

Proponebat Lutetiæ IOANNES FORESTIER Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLIII.